61694/P

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOSOPHICO MEDICA
DE
FELICITATE
EMPIRICORUM MEDICASTRORUM
DIVERSA
A FELICITATE
VERI MEDICI,

QUAM

FAVENTE DIVINO NUMINE

EX DECRETO

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN INCLYTA RAURACORUM UNIVERSITATE

PRO SUMMIS

IN MEDICINA HONORIBUS

STATIM POST ACTUM DISPUTATORIUM

RITE CONSEQUENDIS

PUBLICE DEFENDET

JACOBUS KOECHLINUS
Mulhuſa - Helvetus

ad Diem 19. Septembr. 1775.

BASILEÆ,

Typis JOH. RODOLPH. IM-HOF & FILII.

VIRIS

AMPLISSIMIS EXPERIENTISSIMIS EXCELLENTISSIMIS

DN. D. JOHANNI HOFERO M. D.

REIPUBL. MULHUSINÆ CONSULI

PATRI PATRIÆ

AVO SUO MATERNO

EXIMIÆ PIETATIS OFFICIIS

OB PERPETUA MERITA PROSEQUENDO,

DN. D. JOH. HOFERO, Joh. Filio M. D.

NOSODOCHII PATRII MED. ORDINARIO

SOCIETATIS PHYSICO-MEDICÆ BASILIENSIS

MEMBRO HONORARIO

AVUNCULO AC PATRONO SUO

OPTIMO AMANTISSIMO

HAS QUALESCUMQUE PAGELLAS

MEMORIS ANIMI UT SINT SIGNUM

DEVOTA MENTE OFFERT

34531

AUCTOR.



Dessiné d'après nature par G. Locher en 1774. *Gravé à Basle par Barthelemi Hubner en 1775.*

LA PHARMACIE RUSTIQUE

ou Représentation exacte de l'intérieur de la Chambre, où Michel Schuppach connu sous le nom de Médecin de la Montagne, tient ses Consultations.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30390424



Chr: de Mechel dir.t Baſil: 1775.

I.

De Felicitate Medicaſtri a veri medici Felicitate diverſa acturus, quid Felicitas in genere ſit in limine definiendum exiſtimo, ut illico obviam eatur iis difficultatibus, quæ ex ideis huic voci affictis oriri queant.

II.

Eſt autem mihi Felicitas actionum bonarum conſcientia, ex eademque profluens animi tranquillitas, ex qua efficitur, ut divitiarum, honorum, aliorumque iſtius generis commodorum uſus jucundus nobis ſit ſemper, nullaque turbetur animi ſollicitudine.

III.

Itaque diverſa penitus ab hac felicitate illa eſt, qua ii videntur gaudere, quibus omnia ad voluntatem procedunt, divitiæ affluunt, fama ingens comparatur, quique ſuis appetitibus unde ſatisfaciant habent. Hi enim ut eam voluptatem ex commodis ſuis capiant, quam mortalium vulgus eos capere exiſtimat, multum abeſt.

IV.

Felicitatis autem deſiderium rationis uſu ornatis mortalibus inſitum quum ſit, ne vera atque ſincera omiſſa ad falſam abripiantur atque inanem, ſedulo eſt proſpiciendum.

V.

Pro diverſo enim hominum temporumque ingenio diverſam iis ſe ſiſtere felicitatis faciem, diverſamque ad eam perveniendi eſſe viam, nemini non patet: Unde concludimus formam in qua conſpiciendam ſe præbet felicitas, magni momenti eſſe ad inclinandam dubiam eorum de vitæ ſtatu eligendo ſententiam. Quia Themistoclem dormire non patiebatur Miltiadis Tropæa, armorum ſtrepitum ſequebatur. Quia Cæsar ſe ſuperiorem non poterat pati, ſpreta linguæ laude ad lauream feſtinabat.

VI.

Cæterum quum alius vitæ ſtatus ad felicitatem, quam quis ſibi animo finxerit adipiſcendam, aptior videtur alio, multos videmus in vitæ conditionem ingredi, cujus muneribus explendis minime ſint pares, quique gloriam tantummodo atque laudes magnorum, qui hac via clari evaſere, intuentur virorum, animi autem dotes, vigilias & labores,

quibus

quibus tantillum hocce gloriæ iis conſtitit, ad animum, vocare, ſuasque ad illorum vires metiri negligunt; ſique examine virium forſan inſtituto eas cœpto non pares eſſe deprehenderint, an non ſpeciem ſaltem eorum, quos haberi volunt inducere, aliisque fucum facere liceat inquirunt.

VII.

Diximus §. 5. pro diverſa quoque temporum ratione diverſam mortalibus ſe ſiſtere felicitatis faciem. Itaque, quum noſtra ætate divitiæ ſummum cenſentur bonum, Galenus autem opibus cumulare ſuos aſſeclas perhibetur, non eſt mirandum, arduam artis medendi viam qui ingrediantur multos eſſe, eosdemque vel ex parte vel penitus deſtitutos ea multo labore multisque vigiliis paranda doctrina, earumque rerum uſu, quem latiſſime hæcce patens multisque difficultatibus implicita ſcientia neceſſario poſtulat; quod genus hominum, Empiricorum Medicaſtrorum nomine inſigniri ſolet.

VIII.

Veniunt autem mihi, ut aliquando clarius mentem meam aperiam, ſub nomine Empirici Medicaſtri omnes ii, qui theoriæ medicæ, præceptorum praxeos ac diætetices, actionisque & doſis pharmacorum, cæterorumque ad hancce artem neceſſariorum adminiculorum ignari, corpori humano ſano ſanitatem ſervare, ægro amiſſam reddere conantur.

IX.

Omnis hæcce Medicaſtrorum gens commode in tres claſſes digeri poterit: Primam conſtituent illi qui arti ſuæ vel opificio, quod exercent, ceterum fideliter addicti, tamen, ſi ſuppeditetur occaſio, ægrotis ſuadent remedium quoddam aut domeſticum,

quod vel ipſis vel aliis in caſu analogo profuiſſe contendunt, aut pharmaceuticum, quod fortaſſe a medico acceperunt vel ex libellulo practico absque theoriæ notione hauſerunt. Ad hanc claſſem præter fere omnis conditionis homines præcipue pertinent, aniculæ aliæque mulierculæ, quibus (ne autem mihi ideo ſuccenſeant rogo) ſummè ceterum venerandos Verbi divini miniſtros, præſertim ruri degentes,annumero. Hujus autem claſſis homines in eo præcipue differunt a ſequentium claſſium membris, quod ex praxi medicinæ nullum neque aureum neque argenteum commodum percipiant, de bono ſucceſſu remediorum ſuorum taciti ſecum gaudeant, neque cupiant pro ſummi nominis medicis per orbem ebuccinari.

X.

Ad ſecundam claſſem pertinent omnes ii qui artem quandam vel opificium exercentes tamen ſorte ſua parum contenti, manus ſuas illotas in Medicinam immittunt, urinas inſpiciunt, medicinas univerſales ex male cohærentibus conſuunt, ſuaque neſcio quantarum virium ſpecifica prædicant, quo eo facilius commodis ſuis quibuscumque inſerviant. Hi inter primam & tertiam claſſem quaſi medium tenent, cum illis enim commune habent ut artem ſuam exercere non deſinant, nec unice in medicinam incumbant, cum his, ut prætio aureo plus quam aureo ſucceſſu delectentur, perque virorum ora volitandi laborent prurigine. In hanc claſſem conjicimus varii generis homines, ex quibus præcipue hic locum habent Obſtetrices,Chirurgi, Pharmacopæi, Carnifices, Veterinarii, Armentarii. Hi jam aliquomodo ad veros medicaſtros accedunt. Attamen, cum medicina non ſit eorum opus primarium ex eaque exercenda non maxima eorum fortuna pendeat, eos indicaſſe contentus cum prima claſſe miſſos facio, & ad tertiam, quacum mihi res eſt, propero.

XI.

Tertiam tandem claſſem componit omnis reliqua Medicaſtrorum turba, cui in medicina omnis ſpes, gloria, atque opes ſunt poſitæ, hi demum veri crumenimulgi, hi demum inſula medicaſtrica digni, hi mercede diurna urinas inſpiciunt, omnisque generis ægrotis medicamenta temere porrigunt. A ſuperioribus ſunt diſtincti eo, quod toti quanti ſunt medicinæ ſe immittant, & de bono malove ſucceſſu non ſolliciti, maxima pro præſtitis officiis præmia expoſcant, utque gloria medica potiantur nullis non artibus utantur. Nulla fere extat ars quæ non cultores habuerit, qui, fide ei data violata, ad medicinam tamquam ad ſacram anchoram transfugerint, & hancce artem ingenti ſocietatis humanæ damno exercuerint.

XII.

Ne autem iſti homines nummorum gloriæve, quibus præcipue impulſi medicinam faciunt, famem nimis aperte præ ſe ferant, alii ſub pallio pietatis vel charitatis chriſtianæ credulorum mortalium ſibi comparant fidem, alii morborum mortisque metu trepidos, qua arcana ſua depredicandi arte ſunt inſtructi, ad partes ſuas traducunt, alii vocationem ad hanc artem cui reſiſtere non poſſunt mentiuntur, alii alias quibus in mentis humanæ receſſus aditus pateat rimati vias in occaſionem ſuam eas vertendi ſunt peritiſſimi.

XIII.

Quid, quod diverſis plane viis eodem nonnumquam perveniunt. Sunt enim qui veſtium magnificentia, ſervorum auro argentoque ſplendentium, nobiliumque equorum numero, hiſtrionum muſicorumque comitatu in multitudinis conſpectum prodeant eamque faſcinent.

XIV.

XIV.

Sunt e contrario qui in manicis deſtituta tunica ſellulæque ligneæ inſidentes, undique ferme regionum divites atque pauperes, nobiles atque ignobiles, ſui admiratores ad patriam ſedem trahant.

XV.

Sunt qui magnæ exiſtimationis in arte virorum amicitiam literarumque cum iisdem commercium mentiantur. Sunt qui ſua authoritate freti ad ſcopum ſuum tendunt. Sunt tandem alii qui taciturnitate ſeveraque fronte, alii qui loquacitate hilarique vultu ad optatam perveniunt metam.

XVI.

In eo autem conveniunt omnes, ut ſi quæ morborum curationes forte ſint ſecutæ, mirificis ſuis pharmacis eas attribuant, ex nulla alia cauſa hunc effectum produci poſſe perſuadent omnibus, & voce, & calligraphorum manu deſcriptis litteris, altioribusque, quibus eæ tument ſententiis, magnaque pollicentibus ſchedis ubique locorum quantam mereantur fidem demonſtrare conantes. Caute iidem infauſtos remediorum conſiliorumque ſucceſſus celant, easque, ſi forſan detegantur, in quascumque demum cauſas conferendi ſunt peritiſſimi.

XVII.

Hanc præterea fidem naſcentemqne ex ea gloriam ex Uroſcopia præcipue & tantum non unice ſibi comparant, tantaque aſtutia tamque eleganter norunt ex urinis ſtatum præſentem præteritum & futurum omnium morborum eruere, verbaque ambigua ad ægroti captum adaptare, aliisque fallaciarum generibus uti, ut vel verſutiſſimis imponant.

XVIII.

XVII.

Hoc fortaſſis loco nonnullis durior videor. Non eo inficias, multa eſſe exempla ex quibus uroſcopiam firmo ſuperſtructam eſſe fundamento probari poſſe videri alicui queat. Fateor me ipſum haud ita multo ante uroſcopiæ illud ſitem virum, non æquo animo fuiſſe laturum, ipſum non modo incertum fuiſſe inſit urinæ ægroti ſanive corporis ſtatum judicandi virtus nec ne, ſed acerrime eam propugnaſſe ſummaque proſecutam eſſe admiratione. Factum hinc eſt ut meis quoque oculis hæc miracula propius contemplandi, animoque meo curioſo, quantum liceret, ſatisfaciendi inceſſeret cupido. Itaque adii magni nominis uroſcopos, quid autem viderim & audiverim ex proxime ſequentibus patebit.

XVIII.

Animadverti hoſce uroſcopos ubique viciniæ locorum, qua ad ipſorum regiam proficiſcendum eſt, exploratores habere & quidem tales, quos nemo eorum miniſtros eſſe ſuſpicaretur; Caupones ægrotum quid cauſæ eſſet, & cur iter ad porticum iſtorum Æſculapiorum ſuſceperint, probe percontatos candide omnia ad eum perſcribere; multos eſſe, qui in amicitiam reſponſum petentium ſe intrudant ſeque vel pro ſe vel pro aliis medicaſtrum conſultum ire mentientes, itidem fidi ejus ſint emiſſarii.

XIX.

Quum tandem ad ipſorum domicilium penetrare mihi contigit plus ſemel detexi, cubicula duo tenui tantum ligneo pariete ſeparata, in quorum altero ſemper attentiſſimis auribus excipiebat uroſcopus ea, quæ de ſtatu valetudinis ab adſtantibus interrogatus reſponderam; clam dein ex latebris egreſſus, per portam hypocauſti communem magno

ſtrepitu adventabat dominus medicaſter, & tunc demum vultu miſere diſtorto in urina percipiebat quod longe ante audiverat. Toties me epilepticum, pthiſicum, arthriticum, melancolicum &c. mentiti ſunt (his enim me morbis laborare exploratoribus perſuaſeram) ut vix ſatis tantæ credulitatis me puderet, niſi tot ejusdem infirmitatis ſocios haberem. His bonum in uroſcopiam animum evellere quum mihi non ſumam, mihi ſaltem de averſione ab ea gratulor & ad medicaſtrorum curandi methodum progredior.

XX.

Hoc loco vel paululum rerum naturæ peritus facile animadvertet, quanta temeritate tanti momenti rem agant. Quam nulla ætatis, ſexus, vitæ generis, temperiei &c, habita ratione ſuccos, herbas, radices ſuas aliaque, quorum virtutes & congrue applicandi ars ipſis plerumque fere æque ac accipientibus incognita ſunt, conſulentibus obtrudant. Cum tot temeritatum totque immanitatum teſtis ocularis fuerim, nil foret facilius quam ex eis quædam recenſere; ſed quem latent tot hyperemeſes, tot hypercatarſes, tot aliæ ſtrages draſticis illorum, quæ ſæpiſſime adhibent, medicamentis excitatæ.

XXI.

Superſtitioſis inanibusque ritibus magnam vim eos plerumque tribuere, tum ex aliis exemplis patet tum ex ſequenti caſu. Parentes alicujus infantis conſultum ibant celebrem quemdam medicaſtrum; ſimulac aderant urinam infantis producebant & cum ſumma veneratione, viro iſti reverendo, qui de vita infantis pronunciaturus erat, offerebant, tum ille diu multumque ſciſcitatus accepit, infantem quod ſæpe accidit hydrocele laborare. Longum inde gravemque de iſto morbo inſtituit ſermonem, tandemque infanti vitam ſe ſervaturum recepit, modumque curandi ſcire cupientibus parentibus dixit:

Tu

Tu pater in craſtinum jejuno ſtomacho hauſtum ſpiritus vini bibito, dein circum lectum infantis ter ambulato, & poſt tertiam ambulationem in ſcrotum infantis halitum edito, dein hauſtus duos bibito & quater circa lectum ito, poſt quartum iter bis ad ſcrotum infantis oris tui vaporem emittito, deinde tres hauſtus ſumito & ſexies cubiculum infantis circumito, poſt ſextum iter ter ad ſcrotum infantis halato, dein ceſſato, niſi autem hæc omnia exacte fiant & abs te patre fiant, ſucceſſum non præſtem. Hactenus de methodo curandi. Hæcce alienatio a via medicorum ordinaria tamen non parum commendat inventores.

XXII.

Sed in hiſce ab regia medendi via deflexiſſe non contenti, medicamentorum mutant nomina, an forte morborum pertinaciam inſueto verborum ſtrepitu ſuperare ipſamque mortem abigere poſſint, periculum facientes. Quid ſi aliquot inconcinnas compoſitiones pharmacopoliorum noſtrorum, *ſpiritus rubra*, *der ſtärkſte iſt Meiſter*, *Schwobs änni*, *pulvis* n. 1. 2. 3. &c baptizaremus, nonne novis iſtiusmodi nominibus ſuperbientibus remediis efficacia accederet.

XXIII.

Ut autem ſibi ſemper addictos habeant ſuos ægrotos nulli parcunt operæ, qua aliorum medicorum morbos tractandi methodum traducant, præcepta ab aliis medicamenta nullarum virium eſſe calumnientur, impatientia ægrotantium in abſentia medicorum in rem ſuam abutantur, neque ad ineunda cum iis conſilia adhibeantur ſedulo proſpiciunt. Ineptum academicarumque argutiarum plenum vocant, qui in cauſas morbi vel remotiores vel propiores inquirat, quique in animum inducat, de rerum nonnaturalium uſu præcepta dare. Hæ ferme ſunt artes, hæ methodus Empirici.

XXIV.

Examinandum nunc eſt, an praxis medicinæ Medicaſtro bona quæ optavit largiatur, an methodus, quo hæc bona ſibi comparavit, non afferat incommodum, quod neceſſario impediat quo minus tranquillo animo & perpetuo eisdem frui queat.

XXV.

Hoc examine inſtituto reperimus, medicinam empirico quidem bona illa, divitias atque honores conciliare. Longe aliter autem ſe rem habere de eorundem uſu. Qui enim ſibi conſcius eſt ſe divitias accumulaſſe exercendo artem quam maxime arduam, & in qua exercenda minimum errorem maxima ſæpe mala producere novit, cujusque accuratæ cognitioni nonniſi indefeſſis & laboribus & ſtudiis acquirendæ, ipſe omnia fallaciarum genera ſubſtituit, unde tot tantaque mala ſint conſequuta, tenerorum infantum proles patre orbata, filius qui ſolamen patri eſt eidem ereptus, maritus ab uxore divulſus &c, qui inquam horum aliorumque hujus generis in ſe admiſſorum facinorum ſibi eſt conſcius, quomodo, ſi Crœſo ſit ditior Auguſtoque Cæſare honoratior, Ευθυμιαν illam animique hilaritatem poſſideat, quam cum felicitate arctiſſime connexam eſſe ab eaque divelli non poſſe ſupra diximus. Hæc enim demum inſipida alias hujus ſæculi bona condit, eaque ſi abſit nihil eſt quod inane illud animæ expleat, nihil quod turbatam mentem ſerenet.

XXVI.

At audio hic clamitantes multos, redditam gravi morborum mole preſſis quam plurimis valetudinem empirico ſolidum parere gaudium. Quibus ita reſpondeo: Si comparatio inſtituatur eorum qui ſalvi atque incolumes eorum manus

evaſerint, quique aut eodem malo preſſi domum repetierint aut in majus poſtea inciderint, horum ad illorum numerum ſatis magnum fore pronunciare nullus dubito, cum negari nequit multos eſſe, qui malis ſuis ut antea conflictantes iis ſe penitus liberatos falſo prædicant, ne ludibrio excipiantur metuentes, alios motui itineris, alios diverſo cælo, alios tempori naturæve &c. ſalutem ſuam debere, alios opinione tantum curatos eſſe. Sique concedamus eſſe inter eos, qui opem imploraverint empirici, qui ejus per imprudentiam ipſis dato conſilio obedientes convaluerint, quis neget inſcitia ſua aut necatorum aut miſere vexatorum numerum animum ejus magis preſſurum, quam eadem inſcitia curatorum eum exhilaraturum eſſe. Et hæc quidem dicenda habebam de felicitate Medicaſtri. Quantum ab illa differat felicitas veri Medici nunc paucis indicandum venit, primo quem ſub medici veri nomine intelligam dicturus.

XXVII.

Medicus verus eſt ille vir bonus, qui omnes partes theoriæ medicæ probe callet quique præcepta practicæ ac diætetices, vires medicamentorum, eorumque doſes modumque tractandi & exhibendi, aliaque ad hanc artem facientia prope cognita habet, cui denique ſat judicii eſt ad morbum cognoſcendum & adæquatam indicationem formandam.

XXVIII.

Cum ex dictis conſtet quam longa ſit hæcce ars, palam ſit, ad ejus cognitionem perventuro non aliquot dierum ſtudium ſufficere, ſed plurimorum annorum laborem requiri.

XXIX.

Itaque verus medicus in eo differt ab empirico, quod non inter ſomniandum ſed poſt multorum annorum induſtriam ſcientiam hanc acquiſivit, eamque ex veris artis principiis hauſit.

XXX.

Cæterum ex iis, quæ modo veri medici eſſe diximus, fluit, longe abeſſe ut omnes & ſinguli, qui per aliquot annorum ſpatium medicinæ operam dedere, nomen veri medici mereantur etſi inſignibus doctoralibus decorati ſint, *cucullus enim non facit monachum,*

XXXI.

Scopus veri medici in addiſcenda & facienda medicina eſt, hominum morbos tollendo eorumque ſanitatem ſervando ſocietatis humanæ utile membrum eſſe, quod ſecus eſt in pſeudomedicis.

XXXII.

Scientia armatus quum ſit verus Medicus, idemque tam nobili nervo, tam honeſtis agitur incitamentis, ſimplex eſt atque apertus perſonamque quam induat auguſtiorem non habet neceſſum.

XXXIII.

Ad artis autem quod attinet exercitationem, in Uroſcopia præcipue diſcrimen obtinet inter verum Medicum & Medicaſtrum, ille enim nunquam ex urinis plus quam ex fidis obſervationibus & ſtricto ratiocinio conſtat, divinando differet, neque verbis ambiguis & temerariis ægrotos decipiet.

XXXIV.

XXXIV.

Eadem imo majori adhuc cautela utetur in methodo curandi. Hic miſſis omnibus ſuperſtitioſis & ridiculis, nonniſi medicamenta ſecura & ſcopo congrua in uſum trahet, neque novis iisdemque abſurdis curandi modis ægrotos torquendo famam adipiſci tentabit, artemque ſatis jam difficilem novorum verborum farragine difficiliorem reddere, ſibique inde auctoritatem conciliare religioni ducet.

XXXV.

Dein arctorum humani ingenii limitum probe gnarus, ſe unum artis theſauros exhauſiſſe non exiſtimabit. Itaque arduo oblato caſu alios medicos in conſilium adhibere, amice cum iisdem argumentum perpendere, doceri, ſuaque mutata ſententia meliorem illorum amplecti non ſe judicabit indignum, neque unquam abſentes medicos calumniabitur, ægrotosve impatientiæ eorum blande ſerviendo ab illis ad ſe alliciet.

XXXVI.

Anne autem iſti ad felicitatem perveniunt?

XXXVII.

Non quidem ſemper ad apparentem; cum enim in omnibus apertiſſima via incedant novitatisque cupido vulgo ineptiis gratificari non curent & in prognoſi captui ægrotorum non adulentur, non ſemper ingens fama magnæque divitiæ eos comitantur.

XXXVIII.

XXXVIII.

Quid autem! Veramne felicitatem ſui cultori nobiliſſima hæc ars conciliat?

XXXIX.

Omnino! Quæ enim recordatio jucundior eſt ea, quæ probi medici animum ſubit, inſtrumentum ſe fuiſſe in manu rerum Dominatoris ad morbos pellendos vitæque terminos quantum licuit proferendos multis ægris mortalibus. Quid dulcius, quam haud ita diu ante mortis metu anxios, acerrimis doloribus cruciatos, ſolutisque membris debilitatos ſanos videre atque validos eumque ſincero præconio ardentiſſimoque amore proſequi, quem egregie adeo de ipſis meruiſſe perſuaſum habent.

XL.

Neque minuit hanc felicitatem cogitatio eorum, in quibus ſervandis incaſſum laboravit; immutabiles enim humano generi a Creatore dictatas leges artis præceptis abrogari non poſſe, probique prudentisque Medici officio ſemper ſatisfeciſſe certus, iſtiusmodi caſus æqua mente fert ſeque illo Poetæ diſticho ſolatur:

Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger
Interdum docta plus valet arte malum.

TANTUM.